



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Johannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd Herbipolin Abbatis, viri suo aeuo doctiss. ... Partis Opera Historica, Qvotqvot hactenus reperiri potuerunt, omnia**

Partim E Vetvstis Fvgientibusque editionibus reuocata, & ad fidem  
Archetyporum castigata; partim ex manuscriptis nunc primùm edita ;  
Qvorvm Catalogvm Aversa pagina exhibet

Iohannis Trithemii Spanheimensis Primo, Deinde D. Iacobi Maioris Apvd  
Herbipolin Abbatis, viri suo æuo doctissimi Secvndæ Partis Chronica  
Insignia Dvo - I. Coenobii Hirsavgiensis, Diœcesis Spirensis: eius  
foundationem & progressum ab Anno Christi DCCCXXX. vsque ad Annum  
MCCCLXX. II. Coenobii ...

**Trithemius, Johannes**

**Francofvrti, 1601**

XXXVIII. Ioan. Tritem. Ab. Monasterii Divi Iacobi Herbipolensis, Iacobo  
Vuimpfelingo Selestadiensi amico vnico atq[ue] chariss. S.

**urn:nbn:de:0128-1-17336**

litoris relatione si volueris per amplius intelliges. Vale memor nostri in tuis ad Deū orationibus. Ex Herbipoli vicefima septima die mensis Iulii. Anno Christianorum millesimo quingentesimo septimo.

XXXVIII.

IOAN. TRITEM, AB. MONASTERII DIVI IACOBI HERBIPOLENSIS,  
Iacobo Vuimpfelingo Selestadensi amico amico atq; chariff. S.

LITERAS ex Argentina quas duodecima die mensis Iulii emisisti ad me, eundem die vicefima secunda recepi. Eas vero quas te antehac dedisse scribis, nec dum in notitiam mihi peruenerunt. Detulit mihi destinatum à te libellum, sancto abbati Bernardo inscriptum super septem poenitentiales Psalmos, Dominus Gaspar episcopus Bethleemitanos, Reuerendissimi præfulis nostri generalis in pontificalibus vicarius. Is autem qui mihi literas tuas exhibuit memoratas, simul tuo nomine tradidit libellos duos Argentine nuper impressos, alterum Vuilhelmi episcopi Parisiensis *de collatione & pluralitate beneficiorum*. Alterum Alberti Magni Ratisponensis episcopi *de seruire charitatis*, quos me animo suscepisse gratissimo non dubitaueris. Tribulationibus quas pateris ex corde fidelissimo compatior, & si quid me posse pro tua pace exstimas, fac sciam, moxque paratum ad omnia inuenies. Confide in Domino Iesu, & ambula firmiter in via veritatis, & ipsa veritas te liberabit. Vnum hoc solum te moneo, promptulus ne fies in antea negotiis & rebus occupare claustralium; quia quod extra te ac conditionem status tui, nihil ad te. Quid enim ad te Augustinus cucullatus fuerit an togatus? Scripsisti in libello illo tuo *de integritate*, Bedam non fuisse monachū & plerosque alios, quos ego inter monachos cōputauerim in libro *de scriptoribus ecclesiasticis*, quod nisi mihi deferres amico te facile probaturū polliceris. Cōgrediamur inter nos si placet, quos ego monachos scripsi & Bedā maxime, tu monachos non extitisse minime docebis. Videris mihi non satis tractati temporis perituisse historias, qui Bedam fuisse monachū ignoras. Sed ego tibi parcendum duxi, quem fratrum eremitarum S. Augustini vexationibus plus quam satis tribulatum intelligo. Scire vis à me an tibi locus esse possit cum successore meo in Spanheim, & quis ipse sit, quoniam penitus fugere confortia hominum velis mundanorum. Mihi quidem in abbacia Spanhemensi Prior quē nouisti successit, pars non modica, licet occulta, persecutionis meæ. Vereor autem te apud illud manendi locum non esse habiturum, propterea quod princeps Cynonotorum vitis parum inclinatur literarum studiosis, quod experieris si illo pergas. Mecum autem viuere cupientem te non penitus aspernor, sed hoc suadeo primū, vt exploraueris gentem & locum ipse venias, & si res tibi fuerit animo, qua conditione consequaris effectum consilio tractabimus. Ego enim quicquid possum, amore tui libentissime facturus sum. Est mihi cœnobium pauper & exiguum, sed quietū & philosophanti satis accommodum, sola me penuria molestat librorum, quibus vt nosti in Spanheim erā ditissimus. Vale mi Iacobe, eumq; me esse tibi persuade, qui te deserturus sum nunquam. Ex monasterio meo iuxta Herbipolim 27. d. c. mensis Iulii. Anno Christianorum 1507.

XXXIX.

IOAN. TRIT. AB. MONASTERII DIVI IACOBI IN SVBVBIO  
civitatis Herbipolensis, amantiſſ. confratri suo Simoni abbati  
monasterii Lacensis S.

QVID est confrater & amice charissime, quod miraris me abbatiam resignasse Spanhemensem, in qua me clarum dicis in signemque exitisse, & multis beatum amicis? Mirare potius quod tanto tempore fraudes & insolentias potui sufferre monachorum, Cynonotorumq; dissimulare quasi nescirem, insidias. In quartum & vicefimum annū Spanhemensi monasterio in multis laboribus & paupertate non modica præfui, cumque structuris, libris, ornamentis, & multis necessariis rebus, vt tutemetipse vidisti, illud tandem pulchre ornauissem, & in bonum statum rerū temporalium reduxissem, bello imperii superueniente aduersus Illustriss. principem Philippum Comitē Palatinum Rheini Bavaricæq; ducem, ac principem Electorem, sub cuius defensione monasterium dignoscitur esse constitutum, grauem possessionum, rerumq; suarum ab hostibus iacturam sustinuit. Erant